

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Anni periodum tibi tuisque ex animo præcantur. De Casimiri & Condæi expeditione multi multa nunciant, nec pauci plurima sibi pollicentur. Ego etsi nolim avis esse sinistra, metuo, ne præsumptio sit viribus major, nec ea ratione velit Regnum suum Christus stabilitum, defensum & propagatum. Utique Tyrannus impius & fraudulentus virgam DEI promeritam habiturus sit, qua vindicetur improbitas immanitasque tanta. Si quid habes ea de re, quæso significa, & saluta meis verbis uxorem, familiamque tuam, cumprimis Licentiatum Erasmum, Generum Gnyphanium, Dn. D. Pappum, Sturmium, totumque Sanctum Presbyterium, cujus præcibus me cupio unice commendari. Scripsi Basileæ, Anno 1576. 4. Januarii.

Tuus ex animo

Sulcerus.

CCV.

(Erasmio Marbachio.)

Salutem per Christum. Clarissime vir, frater colende.

Majorem in modum delectatus sum literis tuis, superiori anno ad me datis, quibus amorem tuum erga me singularem multis argumentis declaras. Ego sane fateor, tanto favore me indignum esse, sed tamen cum præter omne meritum meum, tam ardentem me diligas, pro virili mea operam me datum promitto, ut hanc tuam erga me φιλίαν, jucunda semper recordatione mecum usurpem, & mea vicissim tibi studia, & animum ad debita benevolentiae officia paratissimum declarem. Cæterum ex animo tibi gratulor de professione Theologica, in celeberrima Academia vestra tibi oblata, & DEUM toto pectore oro, ut mentem & linguam tuam ad nominis sui gloriam & auditorum salutem dirigat, & te salutare organon Ecclesiae suae efficiat. Status Scholæ & Academiae nostrae mediocriter est. Nova, quæ habemus, intelligo, per D. Davidem perferibi. Expectamus confessionem Wirtebergenſis Ecclesiae de præcipuis articulis in Ecclesia controversis. Utinam ea omnibus satisfaceret, & optatam nobis pacem restitueret. Si ad fratrem L. Philippum scripseris, oro ut meo nomine officiosè ac reverenter eum salutes. Salutem etiam clarissimo Domino Doctori, Patri tuo charissimo, plurimam ascribo. Et se denique æterno DEO præcibus meis commendo, ut diu te superstitem Ec-

Xxx 3

cle-

clesiæ suæ & multorum salutis promovendæ conservet, Dat. Rostochii, 22.
Januarii, anno 76.

I. O.

Valentinus Schachtius.

CCVI.

Salutem in Christo, qui est vera & unica salus nostra,

Reverende Domine Superintendens, amice colende.

Oblata hac commoda scribendi occasione, volui, licet raptim, inter varia avocamenta, paucis te per literas salutare, ut intelligeres, me tuam memoriam vera ac perpetua animi benevolentia conservare. Mense Octobri ad Tubingenses Theologos missa fuit formula consensionis, ad formam doctrinæ, quæ hæctenus in hisce Ecclesiis in thesi & antithesi sonuit, ita conformata, ut non dubitem, in ea vestrarum etiam Ecclesiarum doctrinam expressam esse. Ac licet ab eo tempore nihil litterarum, unde intelligere potuerimus, quid in salutari illo ac necessario negotio in vestris Ecclesiis agatur, acceperimus, moram tamen non molestè ferimus. Res enim ardua est, ad quam, quia variis doctorum judiciis exposita erit, & quia ad posteritatem etiam pertinet, accuratæ deliberationes requiruntur. Varias etiam huic negotio difficultates ac remoras objici, nos in hisce locis experti sumus, de tua verò voluntate prorsus nihil dubito. Volui tamen data hac occasione amanter te monere, ut negotium hoc salutare consiliis tuis, re & opera diligenter adjuvare velis, idque eò facietis libentius, à vobis enim initium hujus negotii profectum est. Ac licet verè dictum sit in proverbio: *multi per dies*, inciderunt tamen nunc causæ gravissimæ (de quibus ad D. Jacobum, quantum licuit, quædam perscripsi) propter quas maturato jam opus est. Dabitis igitur operam & efficietis, ut quamprimum Suevicarum Ecclesiarum censuram & declarationem, studium consensionis & concordie præ se ferentem, videre possimus. Bene in Christo vale. Salutem adscribo Reverendis Viris, Dominis Collegis tuis. Raptim Brunsvigæ, 3. Februarii, 1576.

Tuis

Martinus Kemnitius.

CCVII.